

plantae, quarto aetatis anno jam flores fructumque dederunt, aliae mere foemineae, aliae masculinae. *Radix* fusiformis, semipedem longa, uncialis et ultra diametri, fibris crassis fragilibusque aucta, superne abit in caput conicum, duas tresve uncias altum, septimo aetatis anno pugnum crassitie jam aequans, squamis latis acuminatis imbricatis erectis villosisque vestitum. *Novella folia*, filicum more, subulam apice incurvatam referunt, ferrugineam et scabriusculam. *Ipsa adulta folia* sunt tota glabra, nitida, inermia, erectiuscula, firma et abrupte pinnata. *Stipes* est teres, tantum antice superne leviter sulcatus, calamo duplo gracilior, inferne aphyllus, a dimidio ad quatuor pedes altus. *Foliola* utrinque a quatuor ad viginti, linearia, plus minus semipedalia, vix tres lineas lata, obtusa, plerumque alterna, etiam opposita, plana, crassula, patentissima, subtilissime striatula, basibus albidis dilatatis subsessilia, integerrima, ad lentem terminata apice tribus papillis cartilagineis inaequali. *Scapus* unus alterve ex summitate trunci egreditur, basi stipatus *squamis* lineari-lanceolatis acuminatisque, teres, rufus, asper, erectus, quadriuncialis, terminatus in *spadicem* in maribus masculinum, in foeminis foemineum. Florendi tempus in caldariis nostris non semper unum idemque est. Ut plurimum tamen *spadices masculini* prodeunt mense Octobri, lente increscunt ad Majum vel Junium usque, quando secedentibus ab invicem *scutis antherae* in conspectum veniunt; nec ultra tunc mensem perstant, quin marcescant. *Spadices foeminei* etiam fere octo menses exigunt, priusquam fructus maturescant. Color totius fructificationis ut in praecedente *Zamia integrifolia* est; quin ipsa etiam structura tam similis, ut descriptionem superfluum reddat." JACQ. l. c.

In fronde *Herb. Willd.* partes omnes paulo minores, quam a JACQUINO statuuntur; *foliola* subdistantia, patentia, recta, strictiuscula, linearia, basi apiceque angustiora, integerrima, coriacea, 6—8-nervula, basi apiceque tantum 4-nervula, apice obtusiusculo cartilagineo perexiguas verruculas denticuliformes sub lente obferunt vel et plane integerrima sunt, maxima $3\frac{3}{4}$ poll. longa, lineam latitudine vix superantia.

Tab. I. A. Pars frondis *Hb. Willd.*, n. m.; a-pars folioli paullo a. m.

2. *Zamia Yatesii* MIQ.

Zamia trunco parvulo apice incrassato, foliolis alternis vel suboppositis (nunc senis vel quinis) elongato-linearibus integerrimis apice acuto pauci-serratis, quinque-vel septem-nerviis, 3—8 poll. longis, 2 lineis latioribus, cono masculino breviter pedunculato conico-cylindrico rubiginoso-hirtello.

Hab. in *America calidiori*; ex hortis belgicis in Amstel. introducta; conum mare hyeme propellere incepit, sequenti aestate maturum. Nomen habet eruditissimi Domini YATES, Londinensis, de Cycadearum viventium et fossilium cognitione bene meriti.

Truncus $2\frac{1}{2}$ poll. altus, inferne cylindricus inque *radicem* fusiformem ramosam car-

nosam transit, superne contra globoso-incrassatus, totus fere, frondium et perularum basibus omnino deciduis, laevis, pallidus, superne tantum *perularum* aliquot emarcidarum reliquiis scaber, vertice ipso perulis aliquibus lanceolatis carinatis pallidis fuscule pilosis, apice dense fusco-hirtellis, instructus. *Fronde*s paucae erectae. *Stipes* basi incrassata subpilosa glabrescente dilute fuscus, caeterum teretiusculus, fuscule viridulus, glaber, 3—5 poll. longus; *rhachis* 2—5-pollicaris, antice bisulcata, dorso convexa, inter suprema foliola in exilem laminam ovalem brevissime exserta. *Foliola* utrinque 5—6, alterna vel subopposita, basi fuscula pallida articulato-inserta, patentia vel subarcuato-incurvula, laete viridia, supra subconcaviuscula, tenuiter striolata, subtus pallidiora, plana, marginibus crassiusculis integerrima, apice attenuata et 2—3—5 serraturis distantibus acutis instructa, serraturâ una plerumque adhuc in margine inferiore haud procul tamen ab apice obviâ, inferiora superioribus paulo breviora, infima $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$ poll. longa, superiora circiter octopollicaria, $2\frac{1}{2}$ lin. in medio lata, apice magis quam basi angustata, in medio vulgo septem nervulis longitudinalibus, apice tribus tantum instructa. *Frondium nascentium rhachis* uncinato-incurvula. *Pedunculus* e media frondium corona, basi *squamis* aliquibus perulaceis circumdatus, semipollicaris, fusco-vel-rubiginoso-hirtellus. *Conus* pollice aliquid brevior, juvenilis pallidus, lutescens, adolescens sensim obscurior. *Squamae antheriferae* secundum series longitudinales haud omnino perpendiculares sed subspirales dispositae, sexseriales, in quavis serie longitudinali 5—7; horizontaliter insertae, *stipite* brevi planiusculo, *corpore* antherifero ipso (seu *pelta*) complanato, vertice seu extus irregulariter hexagono pilisque fuscescentibus et griseis hirtello, angulis basis utrinque quasi productis, quibus subtus *antherae* paucae ellipsoideo-globosae pallide citrinae insertae sunt, ita ut duae sub quavis *pelta areae antheriferae* distantes adsint.

Tab. I. C. Specimen florens, n. m. — c apex folioli et pars media, paulo a. m. — 1. squama antherifera, n. m. 2 eadem a vertice et dorso, auct. magn. 3 antherae auct. magn.

3. *Zamia stricta* Mq.

Zamia trunco parvo ellipsoideo-globoso, foliolis subconfertis (nunc 14^{nis} usque 24^{nis}) plerisque suboppositis, subaequilongis, anguste linearibus, utrinque praesertim apice angustatis, coriaceis, integerrimis vel sub apice acuto vel obtusiore uni-vel bi-denticulatis, tenuiter quinque-vel trinerviis, 3—5 poll. longis, 1 lin. latis, conis..... *Zamia angustifolia* Mq. in *Wis- en Nat-Tijdschr.* Tom. I. p. 204.

Hab. in *America calidiore*. Colitur in Horto Amstelodamensi.

Truncus ovoideo-subglobosus, pro parte squamatus vel hic illic jam laevigatus, 2 poll. altus et fere crassus. *Perulae* ut praecedentium sed paulo glabriorae. *Fronde*s parvae,

aspectu strictae et squarrosae, brevitate et foliis densioribus, numerosioribus et subbrevibus a praecedentibus distinctae. *Stipes* teretiusculus vel leviter compressus, pennam columbinam crassus, 2—5, vulgo $4\frac{1}{2}$ poll. longus. *Rhachis* semiteres, antice plus minus distincte bicanaliculata, plerumque aliquid flexuosa. *Foliola* utrinque 14—24, inferiora subopposita vel per paria approximata (1—2—3 lin. circiter distantia), superiora et reliqua fere opposita et confertiora omnia plerumque antrorsum vergentia et aliquid flexuosa (unde frons subsquarrosa), articulato-inserta, subaequilonga, inferiora paullo breviora, media vulgo maxima nec tamen summa multum breviora, anguste linearia, $5\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$, vulgo 3—4 poll. longa, $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{4}$ lin. vulgo 1 lin. lata, basi parum attenuata, coriacea, stricta, supra saturate viridia, nitidula, subtus pallidiora, apice quandoque subsphacelata, aspectu trinervia, sed reapse, ad lentem, tenuiter 5-nervia, saltem in medio.

4. *Zamia angustissima* MIO.

Zamia trunco superne incrassato, foliis suboppositis vel alternis, integerrimis, coriaceis, supra tri-striulatis et impresso-trinerviis, nervis subtus parum conspicuis, 3—5 poll. longis, semilineam latis, conis....

Zamia linearifolia, Hort.

Hab. in *Novo Orbe calidiore*. Col. in Hort. Amstel. ex hortis belg. introducta.

Truncus $2\frac{1}{2}$ poll. altus, inferne cylindricus, superne globoso-incrassatus, pallidus, brevis, prope apicem *squamis* perulaceis exsiccatis et apice ipso vivis carnosis lanceolatis viridulis pilosulis instructus. *Fronidium nascentium rhachis* circinato-incurvula, foliis strictis imbricatis, nunc pilosula, dein glabrescens. *Adultarum stipes* basi parum tumidus, ibique fuscule pallidus et pilosulus, caeterum lacte viridis, pennam passerinam crassus, subcylindricus vel antice leviter applanatus, $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{4}$ poll. longus. *Rhachis* 3 vulgo 5 poll. longa, fere recta, dorso convexa, antice bifacialiter applanata, bistriulata, inter suprema foliola in laminam exilem pallidam carnosam ovalem subinserta. *Foliola* subopposita vel alterna, basi pallida articulato-inserta, utrinque fere 12, irregulariter patentia, prope basim leviter subcurvata, caeterum recta vel subflexuosa, gramineo-viridia, nitidula, supra plana vel vix convexiuscula, tribus sulculis tribusque nervulis secundum longitudinem exarata, subtus pallidiora et omnino plana laeviaque, tota glabra, infima 3, suprema 5— $5\frac{1}{2}$ poll. longa, in medio $\frac{1}{2}$ vix $\frac{3}{4}$ lin. lata.

Tab. I. B. frons nat. magn. b. apex et pars media folioli, a. m.

5. *Zamia Ottonis* MIO.

Zamia frondibus brevibus, foliis inferioribus alternis, superioribus suboppositis